Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8336
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Illo t. Dixit i. d. s. Vado ad eum qui me misit: et nemo ex uobis interrogat me. Quo uadis? Sed quia hec locutus sum uobis: tristitia impleuit cor uestrum. Sed ego ueritatem dico uobis: expedit uobis ut ego uadam. Si enim non abiero: paraclitus non ueniet ad uos. Si autem abiero mittam eum ad uos. Et cum uenerit: ille arguet mundum de peccato et de iustitia et de iudicio. De peccato quidem: quia non crediderunt in me. De iustitia uero: quia ad patrem uado: et iam non uidebitis me. De iudicio autem: quia princeps mundi huius iudicatus est. Adhuc multa habeo uobis dicere: sed non potestis portare modo. Cum autem uenerit ille spiritus ueritatis docebit uos omnem ueritatem. Non enim loquetur a semetipso: sed quecumque audiet loquetur: et que uentura sunt annuntiabit uobis. Omnia quecumque habet pater mea sunt. Propterea dixi quia de meo accipiet et annuntiabit uobis. Ex. vi.

Ps. Omnes uos filii lucis estis: et filii diei. Non sumus noctis neque tenebrarum. Igitur non dormiamus sicut ceteri: sed uigilemus et sobrii simus. Qui enim dormiunt nocte dormiunt: et quia ebrii sunt nocte ebrii sunt. Nos autem qui diei sumus sobrii simus. induti loricam fidei et caritatis. et galeam spe salutis: quoniam non posuit nos deus in iracundiam sed in adquisitionem salutis per dominum nostrum iesum xpm. qui mortuus est pro nobis: ut siue uigilemus siue dormiamus simul cum illo uiuamus. Per quem cum solamini inuicem. et edificate alterutrum sicut et facitis: in xpo iesu domino nostro. Sp. Mark.

Illo t. Respiciens iesus discipulos suos dixit. Pater sancte: serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi ut sint unum sicut et nos. Cum essem cum eis: ego seruabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi custodiui: et nemo ex his perit nisi filius perditionis: ut scriptura impleatur. Nunc autem ad te uenio: et hec loquor in mundo ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis. Ego dedi eis sermonem tuum: et mundus eos odio habuit: quia non sunt de mundo sicut et ego non sum de mundo. Non rogo ut tollas eos de mundo: sed ut serues eos de malo. De mundo non sunt: sicut et ego non sum de mundo. Sanctifica eos in ueritate: sermo tuus ueritas est. Sicut tu me misisti in mundum: et ego misi eos in mundum. Et pro eis ego sanctifico me ipsum: ut sint et ipsi sanctificati in ueritate. Non pro his autem rogo tantum: sed et pro eis qui credituri sunt per uerbum